

liberum nasci, naturali ratione fit; nam hi, qui illegitime concipiuntur, statum sumunt ex eo tempore, quo nascuntur; itaque si ex libera nascuntur, liberi fiunt, nec interest, ex quo mater eos conceperit<sup>1</sup>, cum ancilla fuerit: at hi, qui legitime concipiuntur, ex conceptionis tempore statum sumunt. 90. Itaque si cui mulieri cuius Romanae praegnati aqua et igni interdictum fuerit, eoque modo peregrina facta<sup>2</sup> tunc pariat, complures distinguunt et putant, si quidem ex iustis nuptiis conceperit<sup>1</sup>, ciuem Romanum ex ea nasci, si uero uolgo conceperit<sup>1</sup>, peregrinum ex ea nasci.<sup>3</sup> 91. Item si qua mulier cuius Romana praegnas ex senatus consulto Claudiano ancilla facta sit ob id, quod alieno seruo inuito et denuntiante domino eius coierit, complures distinguunt<sup>4</sup> et existimant, si quidem ex iustis nuptiis conceptus sit, ciuem Romanum ex ea nasci, si uero uolgo conceptus sit, *seruum* nasci eius, cuius mater facta esset ancilla. 92. Peregrina quoque si uolgo conceperit, deinde cuius Romana facta tunc pariat, ciuem Romanum parit; si uero ex peregrino | secundum leges 25 moresque peregrinorum conceperit<sup>1</sup>, ita uidetur ex senatus consulto, quod auctore diuo Hadriano factum est, ciuem Romanum parere, si et patri eius ciuitas Romana donetur.<sup>5</sup>

93. Si peregrinus sibi liberisque suis ciuitatem Romanam petierit, non aliter filii in potestate eius fiunt,

1) concepit V.      2) *vide apographon.*      3) nascitur V.  
4) *cf. apographon.*      5) '*rectius pro donet scriptum foret donata sit.*' Hu.

§ 90. *cf. infra* 1, 161. D. 1, 5, 18 (Ulp. 2698).

§ 91. *cf. supra* 1, 84. *infra* 1, 160. Ulp. 11, 11. Paul. 2, 21a. 2, 24, 2; 3. D. 16, 3, 27 (Paul. 1494). C. 7, 16, 3 (a. 225). 6, 59, 9 (a. 294). 7, 24, 1 (a. 531—534). C. Th. 4, 12 (11), 2 (a. 317) *cum interpret.* 4, 12 (11), 5 (6) (a. 362). I. 3, 12, 1 *cum Theoph.* (Ferr. p. 316). Tert. *ad uxor.* 2, 8.

§ 92. *cf. supra* 1, 77. *infra* 1, 94.

§ 93. *cf. infra* 2, 135<sup>a</sup>. 3, 20. *supra* 1, 55. Plin. *ep. ad*